

ipsius beneficia sufficienter expediat, que hominem Christo conglutinat? Que, ut dictum est, finis malorum est, nutrix et initium secure felicitatis. Valeas, mors mi dilectissima. Confiteor^f, quoniam si possem, libenter te complecterer, libenter te gustarem, ultro subirem. Et testor, quoniam omnis cogitatio mea instigat me ad tui dilectionem, tantum ne intempestina venias^g. Hec ille. Istud verbum ait Innocentius de virtute condicionis humane³²). Nota pro sermone valet utroque parte prima: O quam dolore turbamur, quanto tremore concutimur, cum amicorum dampna sentimus, dum parentum pericula formidamus. Plus interdum sanus formidine quam infirmus egritudine turbatur. Et infra: Cuius pectus tam ferreum, cuius cor tam lapideum, ut non gemitus exprimat, lacrimas non effundat, cum proximi vel amici^h nuncietur interitus, ut patienti non compaciatur, dolenti non condoleatⁱ? Ipse Iesus cum vidisset Martham et Iudeos, qui cum ea venerant ad monumentum Lazari plorantes, infremuit spiritu et turbavit semetipsum et lacrimatus est, sed eo potius, quod adhuc^k mortuum ad vite miseras revocabat. Sciat autem se culpabiliter reum et dure culpabilem, qui corporalem amici sui mortem non deplorat et spiritualem anime sue mortem non deflet. Hec ille. Nota pro eodem Richardus XI^o libro exceptionum capitulo 4³³), quod incipit „Videns Iesus turbas“: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus solet esse pro amissione carorum, sicut quando aliquis amittit caros suos, patrem, matrem, filium aut aliquem propinquum. Heu quam multi lugent caros, qui nequaquam lugent semetipsos! Quam multi lugent dampna corporalia, qui lugere contempnunt dampna spiritualia! Quando aliquis infirmatur aut moritur, lugent amici; quando autem peccat dampnabiliter, quando fornicatur, quando dicit fratri: fatue, quando (fol. 66^v) videt mulierem ad concupiscendum eam, nemo luget. O sanitas insana, o visio ceca, o vita mortua! De istis, que non lugenda sunt aut parum lugenda, graviter lugent, et graviter lugenda, spiritualia scilicet dampna, non lugent vel etiam de ipsis rident. De istis, inquam, prophetavit Ysaïas dicens ...

f) confitebor Ms.

i) condoleatur Ms.

g) vanitas Ms.

k) ad Ms.

h) Dahinter vel Ms.

³²) Lib. 1, 25, 1 und 2; Ausgabe von M. Maccarrone, Lotharii cardinalis de miseria humane conditionis (1955) 32.

³³) Ausgabe von J. Chatillon, Textes philosophiques du moyen âge 5 (1958) 443.